

præsentationem nullam, veluti si præsentavit coram non habente potestatem instituendi, possit intra quadrimestre tertium præsentare; eo quod illa præsentatio, quæ de jure fuit nulla, non reputetur. Fagnanus, loc. cit. n. 9, quia « non præstat impedimentum, quod de jure non sortitur effectum, » c. *Non præstat. de Reg. jur.* in 6. Idem dicendum putat Fagnanus, loc. cit. n. 10, cum Joan. Andrea, et Cardinal. in c. *Cum vos. de Offic. ordin.* Si prima, vel secunda vice ignoranter præsentavit inhabilem, seu indignum. Porro quid juris competat episcopo, si plures successive præsentantur, dicitur § seq. n. 94. et seqq. *præsertim*, 106.

60. *Ille præsentando indignos perdit jus, non item iste.* — III. Differunt, quod si patronus ecclesiasticus scienter præsentet indignum, ea vice sit privatus jure præsentandi: non item patronus laicus saltem probabiliter per dicenda § seq., n. 86.

61. *Beneficium patronatus ecclesiastici potest conferre, et reservare legatus a latere non item juspatronatus laicale.* — IV. Differunt, quod legatus summi pontificis possit sibi reservare nondum vacantia beneficia jurispatronatus ecclesiastici, eaque vacantia conferre etiam absque consensu patroni; non item beneficia jurispatronatus laicalis, arg. c. *Dilectus* 16. *de Offic. legat.* et c. *Cum dilectus*. 28, h. t. et ibi Abbas, n. 2; Barbosa, n. 1. et doctores communiter. Ratio assignatur in cit. c. 28. h. t. videlicet, quia patronus ecclesiasticus subest jurisdictioni legati pontificii, non item patronus laicus. Quod si juspatronatus est mixtum, nec reservare, nec conferre beneficium potest legatus; eo quod patronus clericus communicet cum privilegio patroni laici, juxta dicta, n. 52.

62. *Si habetur ex fundatione aut dotatione: alias secus.* — Limitatur tamen hæc differentia in casu, quo patronus laicus juspatronatus non ex dotatione, fundatione, aut constitutione ecclesiæ, sed ex privilegio tantum, aut præscriptione habet, quia tunc legatus illius beneficium æque ac juspatronatus conferre potest, Barbosa, loc. cit.; Sanchez, lib. XII. *Moral.*, cap. xxix, n. 169, ob rationem infra n. seq. allegandam. Porro circa reservationem beneficiorum usus non est in Germania ob concessa, uti bene advertit Pirhing, l. t. n. 163.

63. *Per generalem reservationem aut unio-*

nem beneficium a Papa factam derogatur beneficio jurispatronatus ecclesiastici, non item laicalis. — V. Differunt, quod simplici concessionem, unione, aut reservatione alicujus beneficium per Papam ipsum facta, derogetur beneficio jurispatronatus ecclesiastici, non item laici, nisi specialiter id Papa exprimat. Fagnanus in c. *Quoniam*. 3, h. t. n. 10; Hostiensis in c. *Dilectus*. n. 5, *de Offic. legat.* et late Gonzalez in reg. 8. Cancellar. a. n. 2, ubi ostendit, quod sub reservatione per regulam cancellariæ non comprehendantur beneficia jurispatronatus laicalis; Pirhing, h. t. n. 133. post Glossam communiter receptam in Clem. 2. *de Præb.* §. *Apostolicis*: dummodo patroni laici ex fundatione, dotatione, aut ædificatione juspatronatus habeant. Ratio est, quod licet possit Papa ex plenitudine potestatis derogare etiam jurispatronatus laicorum, ut fatentur omnes, arg. c. 2. *de Præb.* in 6. tamen id facere non intendat nisi exprimat, ne laici retrahantur a fundandis, extruendis, et dotandis ecclesiis, uti communiter notant doctores. Et quia « patronorum jura tollere, piisque fidelium voluntates in eorum institutione violare æquum non est, » ut dicit concilium Tridentinum, sess. 25. *de Reform.* cap. ix.

64. *Si hoc habetur ex fundatione, aut dotatione.* — Quoniam vero hæc ratio locum non habet in jurepatronatu laicali, quod non ex fundatione, ædificatione, aut dotatione, sed ex privilegio, aut præscriptione fuit primitus acquisitum, ideo idem derogatum censetur per Papæ generalem clausulam: « Ad cujuscunque patroni præsentationem pertinet; » prout in simili diximus de legato Papæ supra n. 62. Glossa in c. *Cum dilectus*. 28. communiter recepta §. *Quempiam*.

65. *Parochiæ jurispatronatus clericalis debent necessario per concursum conferri: non item patronatus laicalis.* — VI. Differunt, quod ad parochias jurispatronatus laicalis extra concursum a concilio Tridentino, sess. 24. *de Reform.* cap. xviii. præsentari a patrono quis possit, et præsentatus admitti debeat; dummodo a deputatis pro examine alias concurrentium reperiatur idoneus, etsi dignior non sit. Ita concilium Tridentinum, loc. cit. ibi post medium: « Quod si jus patronatus laicorum fuerit, debeat, qui a patrono præsentatus erit, ab eisdem deputatis, ut supra, examinari, et non nisi idoneus repertus fuerit, admitti. » E contra vero de

parochia jurispatronatus ecclesiastici nonnisi talis præsentari possit, qui fuit in concursu, ibique repertus dignior. Ita quidem, ut « si institutio ad episcopum, et non ad alium pertineat; is, quem patronus digniorem inter probatos ab examinadoribus judicabit, episcopo præsentare teneatur. Cum vero institutio ab alio, quam ab episcopo erit facienda, tunc episcopus solus eligat digniorem, quem patronus ei præsentet, ad quem institutio spectat. » Ita concilium loc. cit. de quo vide etiam dicta supra tit. *de Præb.* § 5. (ADNOTATIO XXII.)

§ IV.

DE JURE PRÆSENTANDI: AC DE IPSA PRÆSENTATIONE: UBI ETIAM DE CASU, QUO LITIGANT, AUT DISCORDANT PATRONI.

66. *Patrono competunt plura jura: et quæ?* — Plura, præsertim vero quatuor jura competunt patrono ratione jurispatronatus, quæ habentur, c. *Nobis*. 25. h. t. et enarrantur a Glossa ibidem per notos illos versiculos:

Patrono debetur honos, onus, utilitasque.
Præsentet, præsit, defendat, alatur genus.

*In præsentati § examinabimus solummodo anum jus, quod habet, præsentandi nempe clericum ad beneficium: et ipsam præsentationem. Reliqua ipsius jura, sicut et onera ejusdem sequenti § ventilabimus.

67. *Præsentatus a patrono idoneus debet necessario admitti.* — Quæritur I. Qualiter patrono competat jus præsentandi? Resp. I. Id ei taliter competere, ut si clericum idoneum præsentet, episcopus, vel alius, ad quem institutio spectat, eum admittit, et in beneficio instituere teneatur. Communis ac certa, arg. c. *Nobis*, et toto titulo *de Jurepatronatus*, patetque ex dictis lib. I, tit. VI, n. 248.

68. *Limitatur in ecclesia conventuali, ubi est electio prælati.* — Limitatur tamen in ecclesia conventuali (cujus nomine venit quævis ecclesia, ubi plures convenientes jus habent eligendi prælatum. Barbosa, lib. III. *Jur. eccles. univ.* cap. xii. n. 180. sive regularis sit, sive sæcularis. Fagnanus, in c. *Nobis*. 25. h. t. n. 14.) ibi enim, etsi patronata existat, electio prælati ad capitulum spectat, nisi cum consensu summi pontificis patronus jus præsentandi prælatum expresse sibi

reservarit, aut aliunde per consuetudinem, aut præscriptionem acquisierit. Fagnanus, loc. cit.; Barbosa, loc. cit. et in c. *Nobis*. h. t. n. 3. atque ibid.; Abbas, n. 9; Engel, h. t. n. 4. Textus est in cit. c. *Nobis*. 25. h. t. ubi tamen additur, ut post electionem requiratur patroni consensus; non quasi necessarius foret pro valore electionis, aut confirmationis, sed honestatis gratia, et ut patrono exhibeatur reverentia, simulque per intimationem electionis factam præbeatur facultas contra electionem, vel electum coram ordinario opponendi, si quid de jure in contrarium habet, ut pluribus demonstrat Barbosa, cit. lib. III. *Jur. eccl. univ.* cap. xii, n. 181, atque notat Engel, loc. cit. et alii, arg. cit. c. 25. h. t. ponderando verbum *honestius*, contra Glossam ibid. quia licet patronus electionem personæ idoneæ irritare non possit, arg. c. *Cum terra. de Elect.* potest tamen contra eam excipere, si videtur minus idonea, ut bene notat Glossa, loc. cit. §. *Honestius*.

69. *Beneficium patronatum sine consensu patroni licite conferre nemo potest.* — Resp. II. Jus præsentandi patrono, vel patronis (si plures sint) solis ita competit, ut nulla collatio sine eorum consensu fieri queat, arg. c. *Insinuante*. 14, et ibi Barbosa, n. 1; Abbas, n. 1 et 3; Anchoranus, Joan. Andreas, et doctores communiter, nisi Papa aliter reservando, vel conferendo expresse disponat, juxta n. 63, vel legatus illius in beneficio patronato ecclesiastico, juxta dicta n. 61. vel patroni tempus suum elabi sinant, juxta dicta n. 56. aut præsentent indignum, aut discordent, juxta dicenda n. 83. et seqq.

70. *Si confertur nihilominus ab episcopo, valida est collatio, nisi patronus contradicat.* — Porro quamvis doctores citati, et alii communiter asserant, collationem beneficium patronati absque consensu patroni extra casus limitationum positurum, ab episcopo v. g. factam esse ipso jure irritam et nullam, arg. *Citatis juribus*, et can. *Decernimus*. 32, cau. 16, q. 7, ibi: « Quod si spreteis eisdem fundatoribus rectores ibidem præsumperit episcopus ordinare, et ordinationem suam irritam noverit esse, et ad verecundiam suam alios in eorum loco, quos idem ipsi fundatores, condignos elegerint, ordinari. Nihilominus satis probabilis est sententia, eam non ipso jure esse irritam, sed primum irritandam, si patronus contradicat: ita namque et doctores, et textum

juris intelligendos esse, ad Barbosa, *de Offic. et potest. episc.* allegat. 72, n. 107; Gonzalez, ad reg. 8. *Cancellar.*; Gloss. 56. n. 78. et seqq.; Garcias, *de Benefic.* p. V, cap. IX, n. 232. et late Moneta, *de Com. ult. volunt.* cap. x, n. 363. Abbas, in c. *Cum ecclesia.* n. 12. *de Elect.* et alii communiter inde inferentes, quod si patronus intra tempus ad præsentandum concessum, ad collationem absque ipsius consensu factam taceat, et non contradicat, ea firma subsistat.

71. *Patronus debet præsentare, etiam per procuratorem.* — Quæritur II. Quos præsentare patronus possit, et debeat? Præsertim an etiam seipsum præsentare valeat? Resp. I. Ad beneficium præsentari nullus potest, nisi tempore præsentationis sit dignus, et habilis, id est, habens omnes debitas qualitates, et carens qualitate, inhabilem aut indignum reddente. Communis; arg. toto tit. præsentanti. Quapropter invalida et nulla est præsentatio, si præsentatur illegitimus, irregularis, excommunicatus, servus, carens sufficiente ætate, laicus; quia hi omnes vel carent qualitate requisita, vel infecti sunt inhabilitatis nota, juxta dicta tit. *de Præb.* item tit. XIV. *de Ætate, qualit. et ordin. præfic.* necnon tit. VI. *de Elect.* § 9. et paucis demonstrat Barbosa, *de Offic. et potest. episc.* allegat. 72, n. 72, et seqq. Nec sufficit, quod brevi post præsentationem, et quidem ante institutionem adhuc habilitetur, v. g. ætatem acquirat, clericus fiat, ab excommunicatione solvatur, etc.; Barbosa, loc. cit. n. 77 et 78; Castro Palao, p. II, tract. XIII, disp. 2, pun. 7, n. 1; Gonzalez, ad reg. 8. *Cancellar.* Gloss. 2, n. 66. et alii. Ratio est, quia in beneficii attenditur capacitas tempore præsentationis, cum per eam statim acquiratur jus ad rem, arg. *Ecclesie S. Mariæ. de Constit.* Quid juris autem, si patronus præsentet indignum dicetur infra n. 83. et seqq.

72. *Non potest se ipsum præsentare, etiam per procuratorem.* — Resp. II. Nullus patronus, etsi sit clericus, ac dignissimus se ipsum præsentare potest ad beneficium, textu claro c. fin. *de Instit.* et c. *Per nostras.* 26. h. t. et ibi Abbas, Joan. Andreas, Anchoranus, Innocentius, Barbosa cum communi et certa aliorum. Ratio est, tum quia præsentatio sui ipsius sapit vitium ambitionis, uti innuitur cit. c. 62, h. t.; tum quia « inter dantem et accipientem debet esse distinctio, » ut dicitur cit. c. fin. *de Instit.* Imo nec po-

test patronus per procuratorem ad præsentandum a se constitutum præsentari, Barbosa, loc. cit. n. 3, item *de Offic. et potest. episc.* alleg. 72, n. 87; Castro Palao, loc. cit. n. 2; Flamin. Parisius, *de Resig.* lib. IX, q. 17, n. 113. Ratio est, quod virtualiter se ipsum præsentare censeretur; quia, « quod quis facit per alium, est perinde, ac si faciat per se ipsum, » c. *Qui facit.* 72, *de Reg. jur.* in 6. et a fortiori nequit procurator ad præsentandum constitutus se ipsum præsentare, doctores citati, per jura et rationes allegatas.

73. *Potest tamen acceptare collationem sibi factam, et rogare, ut ei conferatur.* — Potest tamen patronus acceptare beneficium, si hoc eidem absque prævia præsentatione sui ipsius, motu proprio confert episcopus, vel alius jus instituendi habens, Castro Palao, loc. cit.; Sylvester, §. *Patronatus.* q. 7; Pirhing, h. t. n. 91; Barbosa, loc. cit. n. 90; Abbas, in c. *Per nostras.* 26. h. t. n. 3. Ratio est, quia in tali casu nec præsentat se ipsum, non ingerit se ipsum in beneficium, nec habet collatio originem a se ipso, sed oblatum ab alio nude acceptat, et in collationem consentit; collatio autem beneficii patronati cum consensu patroni, sine ejusdem præsentatione facta, valet, per dicta n. 70. Imo potest patronus etiam rogare episcopum, ut beneficium ipsi conferat, potestque episcopus ei gratificare, si dignum invenerit. Barbosa, lib. III. *Jur. eccles. univ.* cap. XII, n. 499, citans Rotam, in cit. c. *Per nostras,* h. t. n. 5. et ibi Abbas, n. 4; Pirhing, h. t. n. 91; Zerola, in *Praxi episc.* p. 1. §. *Juspatronatus.* § 21. Ratio est, quæ prior. Neque enim, quod ipse roget, se ingerere dicendus est; alias nemo pro beneficio rogare posset.

74. *Si plures sunt patroni, possunt unum ex se ipsis præsentare.* — Resp. III. Si plures sunt patroni, potest unus præsentare alterum, si est habilis. Barbosa, *de Offic. et potest. episc.* allegat. 72, n. 91, citans Rotam, Thuscus litt. P. conclus. 595; Castro Palao, loc. cit. n. 3; Azorius, p. II, lib. VI, cap. XXI, q. 3, cum Glossa fin. communiter recepta, in c. *Consuluit.* 15, h. t. arg. can. *Congregatio.* cau. 16, q. 7, c. *Cum in jure.* c. *Ne pro defectu.* et c. *Quia propter.* *de Elect.* ubi eligentibus permittitur unum ex se eligere. Ratio est, quæ in præced. num.

75. *Possunt etiam præsentare filium, aut consanguineum alium.* — Resp. IV. Potest

patronus præsentare filium, aut alium consanguineum, vel conjunctum. Barbosa, loc. cit. n. 94; Azorius, loc. cit. q. 2; Palao, loc. cit. n. 4; Engel, h. t. n. 3; Abbas, in c. *Consuluit.* h. t. et ibi Glossa, §. *Propria auctoritate.* Ratio est, tum quia nullibi prohibetur in jure, cum cit. c. *Consuluit.* h. t. ubi prohibitio adesse videri posset, tantum prohibeatur, ne quis patronus filio suo conferat beneficium, non item, ne præsentet ad illud; tum quia filii et consanguinei ipsius patroni non debent esse deterioris conditionis, quam alii; ne alias juspatronatus, quod in favorem fundatoris introductum est, in eorum odium retorqueatur, contra reg. 61. *de Reg. jur.* in 6. ibi: « Quod in gratiam alicujus conceditur, non est in ejus dispendium retorquendum. »

76. *Pater et filius censentur una persona in jure; non attenditur in spiritualibus.* — Dices. Pater, et filius in jure censentur una persona, l. fin. c. *de Impub. et aliis substit.* ergo præsentando filium censentur præsentare se ipsum, quod non licet juxta dicta n. 72. Accedit, quod quidquid acquirit filius, acquirit patri, saltem hodie quoad usumfructum, § 1. *Instit. Per quas personas nobis acquiri;* ergo. Resp. censeri quidem patrem, et filium fictione juris unam personam in aliquibus casibus, non item in spiritualibus, in quibus attenditur veritas, juxta quam revera sunt diversæ personæ, ut bene respondet Abbas, loc. cit. n. 3. Neque etiam in spiritualibus, quod acquirit filius, acquiritur patri; nam in his filiis non est cura de patria potestate, arg. c. *Si annum.* *de Judic.* in 6.

77. *Ad beneficium curatum, parochiam v. g. debet præsentari dignior non tantum a patrono ecclesiastico.* — Quæritur III. An patroni teneantur præsentare digniorem, vel sufficiat præsentare dignum? Resp. I. Distinguendum esse inter beneficium curatum, et simplex, necnon inter patronum ecclesiasticum, et sæcularem. Et quidem patronus ecclesiasticus graviter obligatur ad beneficium curatum, parochiam v. g. præsentare illum, quem cognovit digniorem, sive in, sive extra concursum fiat præsentatio. Covarruvias, in *Reg. peccatum.* § 7. a. n. 4; Gutierrez, lib. II, can. 97, cap. XI, n. 24; Federicus de Senis, consil. 95; Lessius, lib. II, cap. xxxiv., n. 62; Sanchez, lib. II, consil. cap. I. dub. 5, n. 3, et novissime Carden. in proposit. damn. dissert. 28. n. 21.

et 38. cum communi aliorum. Et quia hanc conclusionem late probavimus lib. I, tit. VI, *de Elect.*, § 10, a n. 241; ideo lectorem illum remittimus.

78. *Sed etiam laicali.* — Resp. II. Quamvis non desint docentes patronum laicum graviter non obligari, ut ad parochiam præsentet digniorem; inter quos est Castro Palao, p. 2. tract. XIII, disp. 2, pun. 7, n. 4; Garcias, *de Benefic.* p. VII, cap. xvi. n. 19, et alii; tamen probabilior, et merito tenenda est sententia dicens etiam patronos laicos graviter obligari, ut præsentent digniorem ad beneficium. Ita doctores, num. præced. citati; utpote qui indistincte docent quemvis patronum teneri præsentare digniorem: et quidem Gutierrez cum Covarruvia dicere non dubitat contrariam sententiam esse falsam. Fundamentum est, quia rationes quoad patronos ecclesiasticos, lib. I, tit. VI, § 10, a n. 241, allatæ, etiam militant in patronis laicis, ut legenti patet: atqui ubi eadem est ratio, eadem est legis dispositio, ut amplius dictum lib. I. tit. II, *de Constit.* § 16, a n. 386. Confirmatur ex concilio Tridentino, sess. 24. *de Reform.* cap. I. ubi expresse asserit: « Omnes et singulos, qui ad promotionem præficiendorum quocumque jus NB. quacumque ratione NB. a Sede apostolica habent, aut alioquin operam præstant NB. alienis peccatis communicantes mortaliter peccare, nisi quos digniores, et Ecclesiæ magis utiles ipsi judicaverint, et præfici diligenter curaverint; » atqui patroni laici æque ac ecclesiastici vel maxime operam præstant in præficiendis parochis, cum, ut supra n. 67. dictum, præsentatus ab eis, etsi non dignior, necessario admitti, et institui debeat; ergo.

79. *Solvitur instantia.* — Nec dicas, concilium ibidem tantum loqui de episcopis, et cardinalibus, hoc enim jam solutum est supra cit. lib. I, tit. VI, § 10, n. 241, præterquam quod ipsi adversarii dispositionem Trident. allegent, dum probant, quod patroni ecclesiastici teneantur præsentare parochum digniorem, ut videre est, apud Palao, loc. cit. et Garciam, loc. cit. Si dicis plerosque dari patronos laicos non a Sede apostolica, sed ratione donationis, fundationis, etc. habere jus præsentandi, consequenter saltem hoc non subjacere dispositioni Trident. Contra est, tum quia etiam isti non nisi a Sede apostolica per generalem concessionem juri communi insertam

juspatronatus habent, uti concedunt ipsi adversarii; tum quia expresse dicit, et declarat concilium loc. cit. non tantum eos, quia « a Sede apostolica quodcumque jus, quacunque ratione promovendi » habent, sed etiam omnes et singulos, qui « alioquin operam præstant, » ut legenti patet; quales vel maxime sunt patroni laici juxta dicta n. præced. ergo.

80. *Et probatur ex jure divino.* — Accedit, quod obligatio promovendi digniores non tantum jure positivo, sed etiam divino, vel ex justitia, vel charitate obligante oriatur, uti communiter concedunt doctores, « eo quod minus dignum promoventes communicent peccatis alienis; » sive non impediant multa, et gravia peccata parochianorum, quæ per promotionem parochi dignioris facile impedire possent, consequenter vel ex justitia, vel vi officii patroni, vel saltem ex charitate, aut fidelitate tenerentur. Quam obligationem concilium Tridentinum, loc. cit. bene agnoscens, aperte dicit, se circa obligationem promoventium nihil innovare, nec concedere legem novam, et tamen subjungit (declarative nempe) eos mortaliter peccare (contra jus scilicet divinum) qui digniores non promovent; ergo.

81. *Præsentatio digni omisso digniori ad beneficium curatum est valida, sed non licita.* — Instabis. Concilium Tridentinum ipsum, sess. 24. *de Reform.* cap. XVIII, insinuare videtur, patronos laicos satisfacere, si dignos, etsi non digniores præsentent, eo ipso, quod ibi præcipiat, ut, si hi idoneum præsentent, eum ordinarius admittat. Resp. per hoc solummodo probari, quod sit valida, et consequenter necessario admittenda præsentatio digni relicto digniore (quod nos ipsi fatemur) non item, quod sit licita, alias enim manifeste sequeretur, quod etiam patroni ecclesiastici licite præsentarent, imo episcopi licite conferrent parochias (quod est contra omnes adversarios) etiam non patronatas, eo quod ibidem concilium Tridentinum, sess. 7. *de Reform.* cap. III. universaliter ordinat, ut « si Beneficia simplicia, vel curata personis dignis, et habilibus (nulla facta mentione de dignioribus) conferuntur, » admitti debeant.

82. *Ad beneficium vero simplex etiam licita est.* — Resp. III. Regulariter loquendo, nec ecclesiastici, nec laici patroni graviter obligantur, digniorem præsentare ad beneficia simplicia, seu non curata. Hæc conclusio

probata jam existit cit. lib. I, tit. VI, § 10, n. 247, ubi vide.

83. *Patronus ecclesiasticus scienter præsentans indignum, ea vice privatur jure præsentandi.* — Quæritur IV. Quid juris, si patroni præsentant omnino indignum, aut inhabilem? Resp. I. esse distinguendum inter patronum ecclesiasticum, et laicum. Nam si ecclesiasticus patronus scienter præsentat indignum præter peccatum, quod committit, privatur ea vice, jure præsentandi, et devolvitur potestas libere conferendi ad episcopum, vel alium, qui jus instituendi habet. Fagnanus, in c. *Cum vos. 4. de Offic. ordinar.* n. 27, et seq. ac ibidem; Abbas, n. 6; Barbosa, *de Offic. et potest. episc.* allegat. 72. n. 105; Pirhing, h. t. n. 104; Sylvester, *¶ Juspatronatus.* q. 7. dict. 2; Layman, lib. IV, tract. II, cap. XIII, n. 7; Azorius, p. II, lib. VI, cap. XXII, q. 6, cum communissima aliorum, arg. c. 2. in fine, *de Supplenda neglig. prælat.* et ibi Gloss. fin. Ratio est, quia cum præsentatio a patrono ecclesiastico habeat vim electionis, utpote nomine Ecclesiæ facta, ut bene notat post Innocentium Abbas, in c. *Cum autem.* 24. h. t. n. 3. in puncto electionis autem eligentes scienter indignum priventur ea vice jure eligendi, c. *Cum in cunctis.* § penult. et c. *Innotuit. de Elect.* et c. *Quangquam.* eod. in 6. idem de patronis ecclesiasticis scienter indignum præsentantibus dicendum erit.

84. *Sicut si ignoranter.* — Si vero ignoranter præsentavit indignum, non privatur jure suo, sed præsentatione per ordinarium rejecta habebit novum semestre ad alium præsentandum. Fagnanus, loc. cit., n. 32; Abbas, loc. cit. n. 5, et ibi Joan. Andreas, n. 13; Lambert. *de Jurepatronatus,* p. I. lib. II, qu. 10, a. 4, n. 15, eoque teste doctores communiter, ita ut excepto Cardinale, nullus discrepet, arg. c. *Si electio.* 26. in 6, ubi juris terminus ad eligendum de novo conceditur, casu quo eligentes ignoranter eligunt indignum, cujus electio ob vitium occultum cassatur. Et merito; quia in tali casu patronus est sine culpa, qua nemo est privandus jure suo, c. 23. *de Reg. jur.* in 6. Limitat tamen hoc bene Fagnanus, loc. cit. si ignorantia fuit crassa vel supina, arg. c. *Innotuit.* 20. *de Elect.* et ibi Glossa *¶ Ignorantiam.* eo quod hæc a culpa non excuset, per vulgaria.

85. *Patronus laicus ignoranter præsentans indignum non privatur jure.* — Resp. II. Si

patronus laicus ignoranter præsentat indignum, non privatur jure suo, multo minus privabitur laicus, utpote cui jura in hoc puncto magis favent, quam illi. Unde si cognoscit ordinarius patronum laicum ignoranter procedere, debet eum monere, ut alium præsentet. Quod si monitus alium intra juris terminum præsentare negligit, episcopus providebit. Et in hoc non est inter doctores aliqua controversia: bene vero, et quidem maxima controversia existit, an in casu, quo patronus laicus scienter præsentavit indignum, ea vice sit privatus jure suo, vel possit alium præsentare? Ad quam

86. *Neque si scienter id facit, secundum aliquos.* — Resp. III. Quamvis probabilis sit sententia dicens, quod patronus laicus scienter præsentans indignum, seu inhabilem, ea vice nec privatus, nec privandus sit jure præsentandi; tamen sententia contraria asserens, patronum etiam laicum esse privatum præsentandi jure, hocque statim devolvi ad ordinarium, probabilior juriq. conformior videtur. Prima pars docetur a Glossa, in c. *Cum vos. 4. de Offic. judic. ordinar.* *¶ Minus idonea.* et ibidem late Fagnanus, a. n. 33; Imola, n. 5; Ancharanus, n. 4; Pirhing, h. t. n. 104, et fere communi aliorum, arg. cit. c. *Cum vos. 4. de Offic. judic. ordinar.* ubi habetur, quod, licet patronus laicus præsentarit indignum, jus præsentandi non devolvatur ad episcopum, sed tantum potestas constituendi œconomum. Ratio est, tum quia laicus patronus potest variare, dum præsentat idoneum, arg. c. *Cum autem,* h. t. ergo multo magis, si præsentat indignum, eo quod variatio præcipue concedatur a jure, quando actus est illicitus, ut notat Joan. Andreas, in cit. c. *Cum vos. de Offic. ordinar.* arg. c. *Nosti de Elect.* et c. *Diversis fallaciis, de Clericis conjug.*; tum quia in puncto juspatronatus mitius agendum cum laicis, quam clericis; tum quia nullibi expresse reperitur in jure hæc pœna patronos laicos indignum præsentantes privans jure præsentandi.

87. *Contrarium tamen probabilius est.* — Secundam vero partem tenent Abbas, in cit. c. *Cum vos.* n. 5. ubi ait, hanc sententiam esse verissimam, et allegat doctores de Rota decis. 205. et alias repetitis vicibus tenuit Rota teste Fagnano, loc. cit. n. 39; Engel. Aretin. consil. 99; Joan. Lignan. in Clem. 4. h. t.; Gemin. in c. 4. *de Præb.* in 6; Bar-

v.

bosa, *de Offic. et potest. episc.* allegat. 72, n. 105, ubi plures citat et alii a Fagnano citati. Probatur ex constit. novell. 123. *de Sanctissimis episc.* cap. *Si quis oratorii.* 18. ubi expresse statuitur, quod si « patroni laici præsentent indignos, tunc sanctissimus episcopus, quoscunque putaverit meliores, ordinari procuret. » Concordat novell. 131, cap. x. *Si quis ædificationem.* item l. *Cum quidam ita.* ff. *de Legat.* 2. et ibi Glossa, ubi probatur eum, qui electionem ex dispositione testatoris habet, privati potestate eligendi, si eligit indignum.

88. Ratio autem est, quia quandoque alicui ex privilegio et gratia competit potestas eligendi, vel postulandi, si scienter eligit, vel postulat indignum, perdit ea vive potestatem sibi competentem, c. *Gratum de Postulat.* atqui patroni habent potestatem eligendi, vel postulandi ex gratia; ergo. Confirmatur. Illi, qui jure communi habent potestatem eligendi, vel conferendi beneficium, ipso facto privantur jure suo, si eligunt indignum, c. *Cum in cunctis.* § fin. *de Elect.* ergo multo magis patroni, utpote ex sola gratia habentes cit. c. 3. h. t. cum jus commune difficilius tollatur, quam privilegium, l. *Ejus militis.* § *Militia.* ff. *de Militar. testam.*

89. *Solvuntur argumenta contraria.* — Ad fundamenta primæ sententiæ, et quidem ad c. *Cum vos. de Offic. ordinar.* Respondetur cum Abbate, loc. cit. illud loqui de casu, quo laicus ignoranter præsentavit; neque hoc est divinare, ut dicit Fagnanus, loc. cit. n. 46. sed jura juribus concordare, quod pro possibili fieri oportet, c. *Cum expedit.* 29. *de Elect.* in 6. Ad rationem dico, posse patronum laicum variare, si idoneum, vel ignoranter indignum præsentavit; secus si scienter indignum. Nec obstat, quod variatio circa indignum facilius admittatur, quam circa dignum; respondetur enim, id procedere nisi in pœnam variatio auferatur, et alii committatur, ut hic. Ad secundam rationem respondetur, mitius esse agendum cum patrono laico, nisi scienter, et deliberate delinquat, et pœnam mereatur, ut hic. Ad ultimum negatur, in jure non reperiri pœnam privantem patronos scienter præsentantes indignum, per dicta num. præced.

90. *Eum, qui certus est, certiorari ulterius non oportet.* — Illud certius est, et communiter concedunt utriusque sententiæ docto-